
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Comentatio.

MISCELLANEARVM Exercitationum DECAS PRIMA

Aoll. 2

In quâ de varijs materijs, Theologicis, Metaphysicis, Physicis, & Logicis disquiritur, sententiarum fundamenta ostenduntur, & obstantia debitis resolutionibus diffringuntur.

Disputatorijs Gymnasmatibus in Gymnasio Gedanensi decursa.

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Philosophiæ ibidem Professore Publico.

Ad Serenissimum Principem, Hassiæ Landgravium, perscripta.

Gedani. GEORGIO RHETIO, Reipub. & Gymnasij Typographo Ordinario exscripta Anno 1636.

2.

Sereniſſimo Principi ac Domino

Dn. GEORGIO,

Haſſiæ Landgravio, Comiti in Cattimeliboco, Deciâ, Ziegenhainâ, & Niddâ, &c. Dn. ſuo clementiſſimo

Salutem, cultum, & perpetuam felicitatem.

QVod â DEO univerſi injunctum accepimus, *Sereniſſime Princeps ac Dn. Dn. Clementiſſime*, ut pro ſe quisque nitatur ſedulò, quo commiſſam ſibi Spartam induſtriè exornet: id ſingulis in eâ, cui deſtinamur, provinciâ ſeriò incumbere, æquum eſt, ut æſtimemus. Stare nos omnes velut ad orbem quendam Reipublicæ cenſere debemus: & in militiâ ab ſummo Imperatore lectos eſſe, ubi quisq; munus vel ducis, vel gregarij militis, aliudue explicare teneatur. Nec ſic tempori conſulendum nobis, ut vel oportunitas ejus elabatur: vel ratio, ſi poſcatur, reddi non poſſit. Aſſiduus quidem ille queſt⁹ mortales occupare ſolet, temporum conceſſa vivendi ſpatia adeô rapidè velociterque decurrere, ut multos vix viventium ordini illatos raptâ deſubitò animâ mortalitatis fata complevisse videamus. Nec vulgi tantùm, aut conſilij expertis turbæ hæc querela eſt: Clarorum etiam Virorum lamenta

hic affectus concitavit. Quod si rectè calculos exputamus, non satis compositæ mentis illa illacrymatio est. Non parum ævi suppetit, in cujus spem gignimur: sed multum prodigimus. Nec accipimus semper vitam brevem, sed facimus. Providè dispensanti satis laxè vita patere videbitur: nec tàm ætas rapida erit, quàm aversa ab re nostra occupatio. Fermè ad aliena agendo delabimur: aut fluctus numeramus: aut torpendo dierum spatia ad agendũ concessa transigimus. Est, quem insatiabilis in vitâ habendi versat cupiditas, & nunquam satiati libido animi; implere desiderantis, quod jam circumfluit. Etiam devexæ in senium ætati appetitus fortunarum pervicaciter sedet; cum nec diu constare possunt, nec pretiosis delitjis effœtum & lapsans corpus solicitare. Alium in superuacuis inepta detinet sedulitas; & nusquam residentis animi volutatio hinc inde per vana rerũ exagitat. Alium vini mador defixũ tenet, & perpotandi pervigilandiq; insana dulcedo. Cui Siculæ dapes & Cerealis cœna, atq; ut ait ille

Ludere, bacchari, gravidisq; incumbere mensis,
Ridere, & carni semper amica sequi,

summam votorum expedient. Alium inertia occupavit: aut ex alienis judicijs suspensa semper & præceps ambitio. Plurimos mercandi lucrandique non satis consulta quandoq; temeritas circa terras, pontum, & ætherem confusos agit; quibus semper potius videtur, quod restat, quàm quod occupaverunt. Non paucos, ut hodiè sunt secula, militandi flammavit ardor; nunquam

non

nō aut alienis periculis intētos, aut suis perculsos. Multos nihil certi destinantes, vaga, inconstans, & sibi displicens levitas, per varia & periculosa interdū consilia circumtulit: ac quos vel alienæ affectatio fortunæ, vel sui odium tandem absumit. Pauci in mortalibus sunt, qui temporis pretium rectè æstimant, & occasiones per acta prudenter dispensant. Prodigè ac tanquam semper victuri plerumq; degimus: & rarò nostra nobis occurrit fragilitas. In patrimonijs continendis astricti ferè sumus: nec facilè prædia nostra ab alio occupari permittimus. Quod si de modo finium contentio eveniat; facile est, ad lapides, judicia, arma, decurrere. Vbi ad vitæ temporisq; jacturam devenitur, profusi sumus in eo, cujus & unius honesta est avaritia, & jactura irreparabilis. Cœterarum ruina rerum utcunq; sarciri potest: Temporis jactura nec reparationem admittit: nec â nobis, ut reducatur, quod lapsum est, perficitur. Quò intentiûs ei incubandum erit, ne vivere nimis serò inchoare velimus, cum desinendum est. Incuriosè res exercentur ab occupatis: nec altius quidquam recipit alienis districtus animus. Nobis reddendi sumus, temporique justè vivere in totâ vitâ est addiscendum. Quod mihi institutum fuit, quando post Logica præexercitamenta ad miscellanea, quæ modò promo, animum adjeci. Non in vitâ sine vitâ & velut spiritu agendum fuit: nec committendum, ut recensitis vitæ diebus paucos admodùm, & quasi reijculos nobis resedisse videremus. Faciendum cum illis fuit, qui nihil aut exiguum

guum de suo tempore delibant: Itaq; vitam maximè prolixam futuram putant, si, quantumcunq; patuit, mag. m partem sibi ipsis vacauit, parumque ex eâ incultum otiosumq; est derelictum. Ac jam fini suo admota prima hæc miscellorum decas illustri C. T. nomini libens meritoq; ex priscâ formâ sacra esse cupit. Dicandi argumentum nec publicum deficit: & privatum mihi incumbit. Publicum illustris tuus in litteras favor, Serenissime Princeps, est: Vniverso Orbi Christiano ingentibus impendiis testatus, quibus illustrem Academiam Marpurgensem inter horribiles sævientis Bellonæ furores hucusq; fovisti & conservasti. Debebunt haud dubiè T. C. inter alios litteræ, quòd sub ambiguâ bellicæ rei aleâ servatorem invenerint. Prîvato ipse devinctus teneor, cum in Jubilæo amplissimæ Tuæ Academiæ, almæ litterarum mearum matris, primis laborum honoribus decoratus ad alias regiones sum dimissus. Refectus insuper magnificis epulis, illustri C. T. munificentiâ gratis sine compensandi pretio suppeditatis. Quod publico aliquo memorare præconio dudum destinatum, perficere hucusque negavit opportunitas. Sed jam occupare, rupto silentio, præsumpsi: ne in labem oblitorum benefactorum ulterius silentium imputetur. Neq; uberius tanti meriti pretium requisitura est C. T. quàm apertam agnitionem. Quomodo in majoribus benefactis, & præmia nostra supergredientibus, affectum in rem æstimare solemus: & in gratiæ computari compensationem solet, non simula-

tæ mentis ingenua professio. Ergò cippum indiciũmque agnoscentis illustre meritum animi, exiguũ, quod jam exhibeo, munus suscipies, Princeps Serenissime, non tàm pretio sui æstimandum, quàm donantis animi. Selecta quædam miscella sunt, partim Theologicis libata disciplinis, partim Philosophicis. Dudum animo Tua fuerunt: Sed nunc facto: & sub patrocinio Illustris Tui Nominis publico Orbi inferri desiderant. Ac ab ejus favore approbationem & tutelam inter variantia judiciorum acroamata sibi & humiliter exoptant, & pollicentur.

Suscipe, Cattiadum generis Celsissima proles
Munera chartarum, tenuis quæ nostra Thalia
Promit, & illustri præfixo nomine vulgat.
Si facili pia vota placent, si vilia rerum
Mens Tua non renuit, sed blandè hæc chartea sumit
Munera, & excelso dignatur scripta favore,
Semper honos, nomenq; tuum, meritũq; manebunt.

Vale, *Serenissime Princeps*, & cum Serenissimâ Conjuge totaq; illustri familiâ diu feliciterq; inter has vitæ turbas age, ac seris temporibus mortalitatem nostram, divorum sociatus consortio, dedignari incipe. Gedani. E Gymnasio Reipublicæ. Pridiè Calendas Majas, S. N. Anno 1636.

Serenissimam Celsitudinem Tuam
Subjectissimè devoteq; colens

HENRICUS NICOLAI Philos. in
Gym. Ged. Pro: Pub.

Syllabus diſputationum contentarum.

Elenchus præcipuorum erratorum in diſputationibus occurrentium.

Diſp. 1. th. 3. lineâ 30. leg. perpetuo. t. 5. l. 10. externa. th. 11. l. 2. ſecundum. th. 13. l. 24. ſomno. t. 15. l. 38. decurſu. t. 17. l. 17. notabiliora. t. 18. l. 12. text. 133. t. 19. l. 36. vel. t. 20. l. vlt. Iaccheus. t. 28. l. vlt. Pneumatici. t. 30. l. 20. quidam. t. 32. l. 21. n. 40. t. 34. l. 9. indice. t. 36. l. 20. quorum. l. 47. ſpeciei. t. 37. l. 18. eſſe. eadem lin. Smiglec: l. 19. principium. t. 38. l. 6. ipſam. t. 40. l. 34. 39. Diſp. 2. t. 4. l. 12. hyemi allegoricè. t. 12. l. 38. refrigeratur. t 18. l. 12. Medicar: l. 41. ἄποιον. t. 19. l. 81. halitus. dis. 3. t. 1. l. 7. contrarietatem. t. 3. l. 1. Cognitio. l. 9. & recentes. th: 4. l. 3. vro. th. 19. l. 46. emittit. dis. 4. t. 1. l. 22. ſit: & immutatum. t. 2. l. 8. aut. t. 4. l. 28. ſuccidit. d. 5. t. 7. l. 39. lege 560. t. 17. l. 17. vagari. t. 18. l. 5. poſterioritas, et. d. 6. t. 2. l. 9. furorem. t. 8. l. 5. perfectiſſimum. t. 14. l. vlt. t. 8. t. 15. l. 10. coercitivâ. t. 21. l. 24. humanam. d. 7. t. 1. l. 11. aſinos â. t. 2. l. 4. ſpectatur. t. 9. l. 22. Ita. t. 19. l. 4. concedantur. t. 26. l. ult: inconſequenter. d. 8. t. 8. l. 2. terminorum. t. 16. l. 2. caſtitatem. d. 9. t. 4. l. 4. naturam. t. 15. l: 10. Aſyllogiſtica. d. 10. t. 2. l. 38. deleatur enim. t. 7. l. 14. diſſidium. l. 42. connexione. t. 10. l. 11. artificiali. l. 12. operabitur. l. 13. naturâ. t. 28. l. 13. Qui. Cætera, quæ fortè occurrent, benevolus Lector ipſe corriget, & Valebit.